Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1913

Quelle:
Copyright:

duas vxores esse Episcopum, sed sino istas questiones. Hoc uult. non sit adulter, nec scortator, quia dicitur, sine Sanctificatione nemo videbit Deum. Fusius haec in *Enarrat.* p. 396. Sed etiam ibi: *Omitto autem disputationes de digamia.*

CCCCLXXXVII.

925 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 54: 4. inscribitur: *Epistolae quædam D. Philippi Melanthonis.* Sunt vero et alia admixta, quae ordine persequar: I. *Epistolae* tres *Melanchthonis* ad *Joh. Riuium, Hier. Oderum* et *Franc. Vinariensem.* Epistolae hae, et sequentes collatae sunt cum Editt. *Manliana, Peuceriana* et *Elzeviriana;* itaque indicandum, quaenam e praesentibus non sint in illis Editt. repertae. Deest videlicet Epistola *ad Hier. Oderum,* quae incipit: *Periucundæ mihi fuerunt tuæ literæ,* et praeter laudes atque officia nihil continet.

II. *fol.* 7. *Disputatio habita Vuittembergæ a M. Erasmo Flock pro Licentia in Medicina consequenda. Præside D. Melchiore Fendio Medicinæ doctore. 28. die Augusti, anno* 1545. Sunt Positiones XIII. de Tempore Medicationis ab *Hippocrate* adsignato, quibus subnectuntur Argumenta obposita cum Responsis, atque ex Obponentibus nominantur *M. Erasm. Reinholdus Salueldensis, Phil. Melanchthon,* et *D. Augustin. Schurff.* Viri hi omnes praeter *Flockium* Literatoribus probe noti sunt.

III. *fol.* 14. resumuntur Epistolae XXXIV. potissimum *Melanchthonis* suo, vel alieno nomine datae: *Serenissimo Regi Angliæ. Guilhelmo Reiffenstein* non reperta. Incipit: *Serius ad te mittimus Pædagogum* &c. nempe pro Filiis. Anxiatur de capta *Roma,* Bibliothecis metuens. *Die Jouis post exaudi,* ergo a. 1527. *Paedagogo filiorum Guilhelmi Reiffenstein* non reperta. Incipit: *Herus tuus honorifica oratione* &c. Laus Paedagogi, quem puto *Marcellum Regium,* et quaestio de Incendio *Wernrodensi. Calend. Septemb. D. Joanni Cæsario amico suo. Filiis Guilhelmi Reiffenstein. D. Guilhelmo Reiffenstein amico suo summo. Illustris Princeps Dux Joannes Ernestus Saxoniæ, ad quendam Episcopum.* Est is *Naumburgensis.* Non reperta incipit: *Reuerendissime atque Illustrissime princeps, petiuit a nobis commendacionem ad R. P. V. quidam nobilis adolescens Petrus de Neumarck* &c. Pro aliquo Sacerdotio ad sumtus studiorum tolerandos. *Magistro Marcello,* puto *Regio;* non reperta incipit: *Franckfordiæ venerunt ad me hij adolescentes Argentoratenses* &c. Commendantur *Vitebergae* ejus curae. 12. *Septemb. Francfordiæ* 1536. *Viro optimo D. Guilhelmo Reiffenstein amico suo. Studioso adolescenti Joanni Reiffenstein Stolbergæ. Guilhelmo Reiffenstein* binae. *Nobili adolescenti*